

sados y lo que es al presente. Excepción hecha del notable renacimiento que se observa en la cerámica; de las producciones de nuestras bordadoras; de los trabajos de rejería fundida, pues también el trabajo del hierro forjado se ha perdido entre nosotros; de la talla en madera al gusto barroco, único estilo que interpretan con marcada habilidad los artífices de este género, porque carecen de la instrucción necesaria para componer y ejecutar motivos de los otros, tenemos que confesar que nos hallamos en la más triste decadencia, aun en aquellas industrias que tienen todavía múltiples aplicaciones á las necesidades de la vida. Más de 1.500 notas biográficas de plateros antiguos sevillanos hemos reunido sin gran esfuerzo, de cuyo mérito en su mayor parte no es posible dudar, y hoy apenas, si entre los pocos existentes, puede encontrarse alguno que otro, capaz de ejecutar la más sencilla obra artística. Desaparecieron, pues, los alfombreros, manteros y colcheros, los armeros, bancaleros y oficiales de hacer reposteros, los cinceladores, esmaltadores y grabadores, los dagueros, cuchilleros y guadamacileros, los escritores de libros é iluminadores, los latoneros, naiperos y picheleros, los tejedores, vidrieros y otros artífices que dejamos de enumerar en gracia de la brevedad; ilustre falanje de hombres meritísimos que hicieron brotar en este suelo inagotables fuentes de prosperidad y de riqueza, alentados por los poderosos estímulos que les prestaban los Reyes y magnates, las corporaciones religiosas y civiles y los particulares: los primeros concediéndoles franquicias y privilegios, y los demás con las continuas demandas que les hacían, llevados del noble afán de emular en grandezas y esplendores, contribuyendo á la ejecución de tantas admirables preseas, páginas gloriosas de la pasada cultura española.

Sevilla 1.º de Agosto de 1898.

ALFONSI VALDESII LITTERAS XL INEDITAS

MARCELLINO, IMMO MARCELLO

DE VICENNALIBUS CATHEDRÆ GRATULABUNDUS

TRANS PARTIUM FINES OFFERT

E CLARA VALLE GERMANIÆ EDUARDUS BOEHMER

Epistola Genevam missa ibidem mihi descripta est, ceteras omnes debeo Ottoni Waltz, in Dorpatensi Universitate Professori, qui apographa, quæ ante multos annos ex Prussia et Suecia sibi comparaverat, liberaliter mihi concessit edenda. Servantur enim autographorum plurima in archivo episcopali Frauenburgensi, tria (Gandavi 30 Martii 1531, Ratisponæ 3. et II. Sept. 1532 data) in bibliotheca Universitatis Upsalensis. Rescripsi omnia, in Latinis orthographiam inconstantem et interdum neglectam ad meliora conformavi, distinguens etiam inter *i* et *j*, *u* et *v*, sicut nunc usu venit; sejungendi signa interposui arbitrato meo. Quattuor epistolas Cæsaris mandato scriptas sequuntur privatim ad Joannem Dantiscum missæ, quas, quoad ejus fieri potuit, in ordinem quendam chronologicum redegi. Litteris numerisque inclinatis expressa sunt quæ a librariis adjecta inveni (*In dorso, Alia manu, Sigillum*), et quæ ipse adnotavi, in quibus annorum indicationem sæpe desideratam aliquoties e Waltzii notis recepi; idem semel et Lanzii collectionem et Acta Tomi-ciana et Conquenses illustres citaverat.

Restant ex manuscriptis Frauenburgensibus epistolæ Alfonsi Valdesii XIX ad eundem Dantiscum scriptæ quæ propter temporis angustias nunc seponendæ sunt.

Honorabilibus nostris et Imperii sacri fidelibus dilectis,
nobilibus Syndicis et Consiliariis civitatis nostræ Imperialis Gebennarum

Carolus Divina favente Clementia Electus Romanorum
Imperator semper Augustus.

Honorabiles fideles et dilecti,

Placuit Deo optimo maximo qui sua gratuita benignitate magna nobis munera nonnunquam elargitur, hunc nobis diem duplici nomine hilarem felicemque præstare servata ab angustiis partus serenissima Imperatrice conjuge nostra novoque nobis præstito successore. Hodie enim, quod faustum felixque sit, filium nobis in lucem emisit. Quod cum exploratum habeamus quam jucundissimum vobis futurum sit, vos minime latere volumus, quo nobiscum hoc gratissimum Dei donum gratulemini ut hunc partum quam felicissimum esse velit Reipublicæ Christianæ.

Datum in oppido nostro Vallisoleti die 20^a (1) mensis
Maji A. D. 1527. Carolus.

Mandato Cæsareæ et Catholicæ Majestatis
Alph. Valdesius.

(2) Beatissime pater, Domine Reverendissime, scribimus ad oratorem istic nostrum ut pro R.^{do} Joanne Dantisco, episcopo Culmensi, ser.^{mi} Regis Poloniæ apud nos oratore, viro nobis gratissimo, Sanctitatem Vestram alloquatur, quam majorem in modum rogamus ut homini summam fidem habere et, quod ab ea petimus, nobis concedere dignetur. Quod nos vicissim omni filiali observantia promereri curabimus erga Sanctitatem Vestram quam

(1) Sic apographum, non 21.

(2) Manuscripta Frauenburgensia trium sequentium epistolarum sunt apographa.

feliciter valere et isti sanctæ sedi apostolicæ diu præesse optamus.

Datum in civitate nostra Imperiali Augusta die VII mensis Julii anno Dni MDXXX, Imperii nostri decimo, et aliorum regnorum nostrorum quinto decimo.

Carolus Divina favente Clementia Ro. Imperator Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierus., etc. Rex, Archidux Austriæ, etc. El Rey.

A. Valdesius.

El Rey. Doctor M. Miguel May, regente nuestra canc. del nuestro conseio y nuestro embaxador en Roma, ya sabeys la voluntad que tenemos al mag.^{co} Joan Dantisco que ha residido mucho tiempo y reside en esta nuestra corte por embaxador de los ser.^{mos} rey y reyna de Polonia, assy por la affection grande que conoscemos tiene a nuestro servicio como por las buenas qualidades y virtudes de su persona. ha le agora el dicho ser.^{mo} rey concedido un obispado en su tierra, de que por cierto por las causas suso dichas hauemos (1) mucho holgado, y porque, a causa de los grandes gastos que ha hecho en esta nuestra corte, se halla tan alcançado que no tiene con que pagar las bullas, os encargamos y mandamos que en nuestro nombre supliqueys a su Santedad, dando le nuestra carta de crehencia que con esta va, que tenga por bien de mandarle dar el despacho de la dicha yglesia por via de breve y en la menor costa que fuere possible, que lo recibiremos de su Santedad en singular gracia. y vos en procurarlo con toda deligencia nos hareys mucho plazer y servicio. Fecha en Augusta a VII de Julio de MDXXX annos. Yo el Rey.

Por mandato de su ma.^d Alonso de Valdes.

In dorso apographorum: Exemplum litterarum Cæsaris in negotio meo Culmensi.

(1) Apogr. hamemos.

El Rey. Ill.^{is} mag.^{ci} et nobiles viri, consilarii nostri fideles dilecti. El magnifico Joan Dantisco, Embaxador de la serenissima reyna de Polonia, duquessa de Bari, nuestra muy cara y muy amada prima y hermana, nos ha hecho relacion que stando la ill.^e duquesa de Milan, madre de la dicha serenissima reyna, al tiempo que murio, en pacifica possession de una dehesa en Monte Serico, le fue por nuestra regia corte tomada y ocupada sin que la dicha serenissima reyna como su legitima heredera fuesse llamada ny oyda, en que recibio mucho agravio, y ahunque ha pedido justicia en essa nuestra regia camera, nunca ha podido alcançar la, supp. nos mandassemos que la dicha causa fuesse brevemente determinada y a ella conforme a justicia la possession de la dicha dehesa restituyda. y porque desseamos complazer la dicha serenissima reyna en esto y en cosa de mayor importancia, hos encargamos y mandamos que veays luego sin mas dilacion la dicha causa, y consideradas las palabras del privilegio de la dicha serenissima reyna y lo que por su parte ha sido allegado hagays y determineys lo que mediante justicia hallareys dever se hazer y determinar. que assi procede de nuestra determinada voluntad. la presente restituit al presentante.

Data en Augusta a XXXI de octubre año de MDXXX. Yo el Rey. Valdesius Secretarius.

Magnifice Domine Orator, impetravi a Domino Cancellario ut possim in sua Apologia (1) aliquid immutare dummodo maneat substantia prout est, ego vero nollem quicquam tentare nisi vel D. V. vel Dni Cornelii (2) adesset auxilium, hoc tamen quanto citius fieri posset factum vellem. Si liceret abesse a domo, irem ad D. V., sed ma-

(1) *Pro Cæsare ad Romanum Pontificem mittenda, quæ mox typis evulgata est. Cf. litteras Dantisci in Bætica Hispaniæ XII Octobris 1526 datas. Acta Tomicana, VIII, p. 356 sq.*

(2) Cornelius Duplicius Scepperus. *Vid. ibid., p. 353.*

lim ut Dns Cornelius dignaretur adesse in prandio cum Dno, vel D. V. mihi significet qua hora possim commodius accedere ne illi molestus sim.

D. V. servitor deditissimus Valdesius.

Granatæ 1526.

Sigillum cereum rubrum.

S. p. Deum immortalem, quantum ego tibi debeo, mi Dantisce, qui molestissimis negotiis obrutum recreas novis subinde deliciis. Numquam mehercle quicquam hoc tuo hymno vidi rectius accommodatum. Amanuensi non committam, sed meapte manu descriptum quem misisti igni tradam. Ceterum tu ipse facile conjicere potes quam sit mihi molestissimum quod dulcissima tua consuetudine mihi frui non liceat. Cancellarius mittit in Italiam aliquot ex suis, meque suis negotiis enecat atque ita huic domui alligavit ut hinc discedere fas non sit. Forsan aliquando miseris feliciora sequentur tempora. Vale. Tuus Valdesius.

Sigillum cereum rubrum.

Dantiscus in Bætica Hispaniæ XII. Octobris 1526: Cancellarius mihi retulit nuper quod sibi Cæsar etiam injunxisset ut statum et expensas suas quantum potest extenuaret. Quo factum est quod plures de nepotibus et amicis suis hoc tempore in Italiam miserit. Acta Tomicana, VIII, p. 359.

S. p. Habuimus a Cæsare villam nomine Covillas de zerrata pro Domino Vicecancellario ac Imperiali Cancellario. Situs loci nimium placet, est enim remota ab itinere, distans quattuor leucas a Palentia et quinque ab hoc oppido, præterea audio locum esse amœnissimum. Si placeret Dni V. illuc venire, curabo pro parte mea ut habeat hospitium ac omnia alia ex sententia. Arbitror nos cras

discessuros a prandio. Quare D.^{tio} V. significet mentem suam desuper.

E. D. V. servitor Valdesius.

1527.

S. Te salvum advenisse vehementer gaudeo. Cancellario cum non placuisset hospitium in Pinto, huc se contulit longaque melius habet quam cum esset apud divum Hieronymum. Quando unquam ad eum veneris, scio illi rem gratam te facturum. Veni cras ad prandium si vacat, sin minus veniam ego ad te si licebit. Munera tua accipio libentissime, tametsi potes ea (1) ad discessum usque tuum servare. Vale. Tuus Valdesius.

Audivimus exercitum Cæsareum post adeptam victoriam duos oratores, Germanum alterum, alterum Hispanum, ad Pontificem destinasse ut ab eo qui extorquere solebat pecuniam extorqueant. Sic mutat fortuna vices.

1527. *Sigillum cereum rubrum.*

S. p. Valebamus quidem nos quam rectissime in Coviglas ubi mirum ut omnia mihi ex sententia cesserunt, at postquam eo dementiæ adductus sum ut Palentiam venirem, proh Deum immortalem quam mutata omnia! Primum locus displicere cœpit, deinde diversorium nullum inveni, et quod infelicius omnium judico, impudentissimis machinationibus in meum præsertim senem plena omnia. Hoc præstat inscitia, hoc præstat cuculla. Quam facillime tamen omnes omnium machinationes me superaturum spero. Doleo te non omnino ex sententia, ut scribis, istic esse. Utinam nobis licuisset apud Coviglanos nostros agere! Quodsi præstantia tua illuc mansisset, non tam facile me ab ea divelli passus fuisset. Litteras ad D. Præpositum non vidi.

Gaudeo tibi esse commercium cum Marliano, est enim

(1) *Apographum* potereas ea.

vir et probus et honestissimus. Oro ut plurimam illi meis verbis salutem dicas.

Galli jactitant sese habere Januam in eorum potestate, hoc habuit ab ipso Rege orator Cæsaris qui illuc agit, habeo tamen litteras a Cancellario ex Barchienona die 9 Septembris, de Janua vero nec verbum scribit nec ad me nec ad Cæsarem.

Scribit Cancellarius se decrevisse ad vigiliam Nativitatis Mariæ Montem Serratam venire atque ibidem novenam ut vocant dierum acturum posteaque recta ad nos advolaturum.

Rerum hic novarum offendi nihil nisi Eboracensem Regis sui nomine foedus artissimum cum Gallo conclusisse planeque adversus Cæsarem, nam illi indicturi sunt bellum. Quid hæc nobis parturient nescio.

Orator Borbonius discessit heri versus Cancellarium jussitque ut plurimam tibi suis verbis salutem dicerem vel saltem mitterem.

Hæc pauca ad te scribere volui, tu ea boni consules, sum enim et hospitio et sensu etiam privatus. Vale.

Palentiæ 10 Septembris 1527. Tuus quicquid est Valdesius.

In dorso: Excellentissimo viro Dno Joanni Dantisco, Ser.^{mi} Regis Poloniæ oratori dignissimo.

Alia manu: Dat. Palentiæ 10 Septembr., eodem die in Paredes red.

In oppidulo Paredes se commoratum esse Dantiscus scribit in epistola ad Regem suum. Acta Tomiciana IX, ed. altera, p. 331.

S. p. Gaudeo si quid feci aut facio quod tibi placeat, measque litteras tibi gratas fuisse habeo gratiam, tua enim humanitate adeo me tibi devinxisti ut, si omnia a me officia tibi promiseris, jure tuo facturus sis. De sene nostro quod mones curabo sedulo. Fuit certe adventus huc meus plus quam necessarius. Si haberem Erasmicam eloquentiam, non gravarer totam tragœdiam tibi describere, sed

commodius forsā alias verbis explicabo. Agitur de pace, nostri credunt se habere rem fere perfectam, sed ut sententiam meam proferam, Galli, nostris longe callidiores, egregie illudunt nos, quo sub spē pacis decepti rebus Italicis minus provideamus atque ipsi interea facilius rem suam agant. Existimo nostros quos nosti negotium prope-raturos ut, si fieri possit, ante adventum senis nostri ad finem usque perducatur. De rebus Ungaricis hactenus audivi nihil, nec de Janua præter id quod ad te scripsi. Nactus sum hospitium satis commodum et quod tibi, si quando huc venire contigerit, usui esse poterit. Vale.

Palentiæ die Jovis.

De pace nihil spero futurum. Tuus ex animo Valdesius.

In dorso: Clarissimo viro Domino Joanni Dantisco Ser.^{mi} Regis Poloniae oratori dignissimo.

Manu Dantisci: Dat. Palentiæ 12 Septembr. 1527. Red. in Paredes eodem die.

S. p. Vir clarissime, pristinae valetudini te restitutum gaudeo. Sperabam Alexandrum aliquid a Domino de Nassou impetratum, tamen, ut audio, nihil hactenus factum est. Nosti Cæsaris naturam. Si decreveris huc venire, non habita (1) diversorio, vide ne antiquo hospiti injuriam facias. Nam si in primo cubiculo lectum tuum collocare nolueris, erit non incommodus locus in secundo ubi nullus dormit, nec alicui incommodo esse poteris. De impetrandō a Cæsare hospitio, nisi post adventum Cancellarii, est certe quam minima spes, nam orator Lusitanus nunquam non obtundens Cæsarem nihil hactenus impetrare valuit manetque extra oppidum.

A Cancellario nihil habeo litterarum, fertur tamen illum sperasse Cæsaraugustanos ad diem lunæ proxime præteritam, ita ut credam illum ante octo vel decem dies non venturum, ideoque, ni deinceps aliud audiero, decrevi hic

(1) *Apographum* habito. *Melius scriberetur* ne h.

manere usque ad diem dominicum vel lunæ. Quod faciendum erit, in tempore ex me faxo ut habeas.

Nihil est quod verearis mihi incommodi futurum quod tibi hospitium communicaverim, non tam insaniunt Alcaldi nostri, ego quidem nec verbum ullum de hac re audivi; quodsi ob eam rem aliquid ferendum esset, ferrem equidem animo jucundissimo.

De rebus Ungaricis audivi Ferdinandum nostrum Vayvodam superasse Budamque expugnasse, sed adeo tepide ac frigide mihi relatum est ut nullam apud me fidem habuerit, aliud certe audivi nihil. Nihil præterea rerum novarum apud nos est. Omnes avide pacem sperant illamque factam esse multi existimant, ego vero, qui meorum Gallorum ingenia, dolos, insidias artesque novi, tantum abest ut illam factam esse credam ut quam longissime illam exultantem videam. Sed de his alias verbo tenus latius. Hospes tuus cum tuo Joanne plurimam tibi salutem mittunt. Vale.

Palantiæ XXIII Septembris 1527.

Scribe an tuis globulis aureis aliquid expiscaveris. Tuus quicquid est Valdesius.

Sigillum cereum.

In dorso: Clarissimo viro Domino Joanni Dantisco Ser.^{mi} Regis Poloniae oratori &c.

Alia manu: Dat. Palentiæ 24 Septembr., red. in Paredes eod. die.

S. p. Venit Metator hospitiorum missus a Cancellario qui scribit se non venturum huc usque ad diem sabbati proximum mansurumque cras per totum diem Arandæ; de via ex Aranda huc usque nihil certi nobis affert nisi quod existimat Cancellarium recta huc venturum per oppida et pagos hic inscriptos. Ego non potero me absolvere hodie, discedam tamen cras summo mane aggressurus hoc iter. Utinam te in itinere offenderem. Vale.

Palantiæ primo Octobris 1527. Tuus quantus est
Valdesius.

In dorso: Al muy mag.^{co} señor el señor embaxador de Polonia &c. en (1) Dueñas cabe Sant Augustin.

Alia manu: Dat, Palentiae 1 Octobr., eod. die red. in Doñas (2).

S. p. Dederam ad te litteras uni Aragonensi, cum Britonus tuus tuas ad me attulit. Vidisti arbitrator ex meis. Cancellarium cras venturum Arandam atque die sabbati ad nos, quo itinere certe ignoro, ait metator hospitiorum sive ut isti vocant furrerius qui Cancellarii litteras attulit venturum recto itinere. Si per Germanorum tarditatem licuisset, eram hac nocte apud te futurus, tamen haud fieri potuit ut me hodie ab his negotiis absolverem. Cras summo mane spero me discessurum, arripiamque iter per oppida quorum catalogum jam secundo ad te mitto. Quodsi te non convenero in itinere, conveniam saltem die sabbati. Interea vale felicissime cum tuis puteis.

Palantiae primo Octobris 1527. Nosti tuum Valdesium.

Sigillum cereum (gemma antiqua?)

In dorso: Clarissimo viro Dno Joanni Dantisco Ser.^{mi} Regis Poloniae &c.

Alia manu: Dat. Palentiae 1 Oct., eodem die redditae in Doñas (3).

S. p. Dormiebat Cancellarius cum redditae mihi sunt litterae tuae, ad quas ut paucis respondeam fuit mihi admodum molestum ubi te in Turrecremata mansisse intellexi. Nam ut tibi commodius hospitium esse posset, res meas omnes ad Cancellarium transportare feceram, nunc autem video te ad tuam piscationem reversum esse. Cancellarius decrevit vel die Mercurii a prandio vel Jovis, sum-

(1) *Qui descripsit videtur dubitasse utrum n scriptum sit an et.*

(2) *Apographum Soñas. Scripsi Doñas quod idem est ac Dueñas. Ibi tum pars curiae. Acta Tomic. IX, p. 331.*

(3) *Apographum Sonnas.*

mo mane ut solet, hinc discedere, recta versus Burgos. Quare non opus est ut litteras salvi conductus petas. Verumtamen si libet huc venire, jam tanta mihi accessit auctoritas ut facile quos velim introducam; veni, non deerit hospitium nec intrandi facultas. Consultius tamen judicarem ut vel in Turrecremata vel in Palençuela Cancellarium sperares atque nobiscum usque ad Burgos ires; curabimus ut sit tibi domus nostrae proxima.

Quo vultu Cæsar exceperit Cancellarium malo ore exponere quam hic scribere, certe nihil hactenus vidi nec commodius nec humanius, prout tibi relatum esse non dubito. Cetera ego præsens exponam. Marescalchus Cilly non fuit missus Burgos uti sperabam, ivit tamen Joanninus Bourchovus quem vocant le Borgne, vir probus et qui sui similes amat. Scribe illi ut habeas hospitium non longe a Cancellario. Nihil mihi tua consuetudine gratius. Vale.

Palantiae 7 Octobris 1527. Tuus quantus est Valdesius.

Sigillum cereum.

In dorso: Clarissimo viro Domino Joanni Dantisco Ser.^{mi} Regis Poloniae oratori.

Alia manu: Dat. Palentiae 7 Octobr., red. in Paredes 8 ejusdem.

Cf. epistolas duas ad Dantiscum ibidem eodem die datas, alteram a Cancellario, alteram a Vicecancellario. Acta Tomiciana IX, p. 309-310.

S. p. Cum istac transirem volui tibi vale dicere, tu tamen in utramque aurem dormiebas. Litteras commeatu quas a me petiisti dabit Comalongas, is est scriba apud secretarium Urrias. Vale et vide ne puellarum Valentinarum illecebris allectus diutius istic maneat. Cancellarius melius valet.

Sigunti 18 Maji 1528. Tuus Valdesius.

Juvenem, qui has tibi dedit in tuorum numerum ascribito, est enim affinis meus. Iterum vale et amicis omnibus meis verbis salutem dicito.

Sigillum cereum.

In dorso: Clarissimo viro D. Joanni Dantisco Ser.^{mi} Regis Poloniæ apud Cæsarem oratori.

Manu Dantisci: Dat. Sagunti 18 Maji, red. Valentia eodem die.

S. Videtur omnino amicis omnibus impudentem illum libellum Franciscanum ⁽¹⁾ mittendum esse ad Erasmus quem existimant mecum exostulaturum si minus mitterem. Habeo nuntium qui litteras ab eo attulit 8 cal. Majas datas quique tuto meas se missurum pollicetur. Libellum præter eum quem penes te habes nactus sum nullum, quare, si tibi usui non est, rogo ut ad me mittas; dabitur a me opera ut quam primum alios habeamus. Si per otium liceret venirem ad te, habeo enim papistarum tragoediam in meum dialogum Romanensem, sed non licet. Ergo vale.

1528. Tuus Valdesius.

Sigillum cereum.

S. Quæsi pridie a Cancellario an misisset ad se Cæsar tuam schedulam, negavit eam vidisse se, narravi quid ea contineret, pollicitus est se omnem operam daturum. Veruntamen eo ipso die a febris tertiana correptus non potuit bonus senex convenire Cæsarem quemadmodum statuerat, jacet itaque in lecto et neque scio quid dicam neque quid ab hoc homine sperem. Exultabit Alemanus cujus res in maximo periculo versabantur. Fata viam invenient. Quæram exemplum translationis et quod jubes exequar. Veniamque ad prandium ni aliquid interea successerit, nolim tamen me expectares. Vale.

1528. Tuus Valdesius.

Sigillum cereum.

S. Multa me impediunt quominus ad te uti statueram venire possim, præsertim cum in tuo negotio nil boni ac-

(1) *Carvajali.*

tum esse sciam. Maximum mihi heri terrorem incussit tuus Guido cum diceret cras te abire decrevisse. Quod si futurum est fac me certiore, nam relictis omnibus veniam ad te. Ceterum scripsi ad te hodie abiisse Alemanum; verum est, hodie enim bene mane discessit aut potius hinc abductus est, daturus fortassis suæ improbitatis pœnas. Quodsi tibi vacabit hominem aliquo epigrammate dignare, rem facies amicis gratam, gratissimam autem

Tuo Valdesio. Vale.

Toleti Decembr. 1528. Dantiscus inde profectus est 17 Dec. Acta Tomic., IX, p. 410.

S. Meas mihi sarcinulas evolventi forte fortuna ad manus venit hic libellus, in quo nonnullæ, ut audio, insunt preces carminave quibus Mauri sese in proelio tutos fore existimant; nactus sum propterea una cum libello quam vides auream laminam Arabicis characteribus impressam quam etiam religionis nescio quid Mauri habere sibi ipsis persuadent. Visa est mihi res haud prorsus indigna quæ, non ob religionem, sed ob rei novitatem ad te iret. Tu utrumque grato animo accipe. Et vale.

Tuus Valdesius.

S. Tam magnifica subinde munera mittis ut nullum mehercle principem quantumvis magnum sciam quocum de liberalitate certare non possis. Misisti epigramma, sed ita acsi nihil mitteres, et tamen nihil est quod majus mitti possit, mittis ingenium, judicium, argutias, sales, lepores et quid non? Sed ne ego ineptus sum qui tua laudem, quasi meo calculo quicquam illis accedere possit. Vale. Venirem ad te si per hujus senis importunam importunitatem liceret, sed non audeo, crede mihi, domo pedem efferre. Iterum vale, et fac sciam quid Cato ille Pratensis de tuo epigrammate judicavit. Tuus Valdesius.

1528.

Sigillum cereum rubrum.